Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26107
Copyright: Admont, Benediktinerstift

162

platea porte effraym. In domate dicit in tecto domorum. Nam
in palestina non habent culmina in domibus. sed equales sunt domorum
omnium summitates. suppositis trabibus ac tabulatis. Unde et in le
ge preceptum est. ut cum quisque domum edificet. nouam faciat lubricam
in circuitu tecti. ne quis ex eo delapsus periculum mortis incidat.
ta unusquisque nostrum egressus facit tabernacula in domate. in tecto
domus sue. cum habitaculum carnis sue animo transcendens. affectus
eius noxios sedula superne lucis ac libertatis meditatione calcaue
rit. Quod ipsum et in atriis nostris facimus. cum mente ad celestia flagrante.
quasi extra mundum consistimus. cuius mansionem nos ocius relinquere desi
deramus. Facimus et in atriis domus dei. quando et si necdum aulam superne
ciuitatis licet ingredi. in eius tamen uicinia totam nostre cogitatio
nis memoriam sedemque collocamus. Facimus et in platea porte
aquarum. cum dilatato corde nostro in uia mandatorum dei. sicut cer
uus desiderat ad fontes aquarum. ita desiderat anima nostra ad
deum uiuum. Facimus et in platea porte effraym. hoc est frugi
feri siue crescentis. quando in eadem amplitudine liberi
cordis ita proficimus. ut patefacta nobis a domino porta iusticie.
semper in illo crescamus in salutem. ac maioribus per dies bone
actionis frugibus abundare mereamur. Legitur autem in libro legis
dei per dies singulos. a die primo usque ad diem nouissimum. Et
fecerunt sollempnitatem. vii. diebus. et in die octauo collectam iuxta
ritum. Quantum littere sensus patet. ipsa quidem scenophegia. vii. diebus
agi solebat. i. a quinta decima die mensis septimi luna usque
ad uicesimam primam. Deinde octaua die. hoc est uicesima secunda
mensis. denuo collecta populi agebatur maiori festiuitate insig
nis. Scriptum namque est in leuitico. A. xv°. die mensis septimi.